

1269, desembre, 13

*Bernat Estruc ven a Pere de Fontclara un quartó del delme de Vilobí pel preu de 2.000 sous*

ASD núm. 205, perg. orig., 550 x 295 mm.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus Struscii, filius maior Petri Struscii olim defuncti, per me et meos presentes atque futuras, gratis et spontanea uoluntate ac nemine me cogente, set ob maximam utilitatem meam, de consilio pariter et assensu Raimundí · de Scala et Bernardi Struscii, manumissorum testamenti patris meiet tutorum mihi datorum in testamento patris mei, uendo et cum hac presenti publico instrumento firmiter amni tempore ualituroliberando trado tibi Petra de Fonteclara et tuis et quibuscumquedare, dimitere, uendere seu quocumque alio modo alienare uoluerisin eternum totum illud meum quartonum decime panis, uini et aliorum omnium fructuum, rerum et bonorum que terra pradicittocius parrachie Sancti Stephani de Uilalbino, sicuti melius dictum quartonum decime ego habeo, teneo et possideo per dominum castri de Monteacuto, et ut melius et utilius dici, scribi seu intelligi potest ad tuum tuorumque comodum et bonum intellectum, precio duorum milium solidorum barchinonensium monete de temo, de quibus confiteor et recognosco me a te bene et utiliter fore paccatum et plenarie satisfactum, renunciando non numerate pecunie exceptioni; et si plus dicto precio ualet hec uendicio uel de cetero plus ualebit, totum illud gratis et ex certa sciencia dono tibi et tuis titulo pure et perfecte donacionis irreuocabiliter inter uiuos, renunciando expresse illius legis auxilio per quam deceptis ultra dimidiam iusti precii subuenitur et excepconi doli et metus et accioni in factum et legi recissorie. Et ideo de meo meorumque iure, posse et dominio extraho et eicio dictum quartonum decime, eundem in tuum et quorum uelis ius, potestatem et dominium irreuocabiliter transferendo, constituens me dictum quartonum decime tuo nomine possidere donec corporalem uacuumque possessionem acceperis de eodem, quam possessionem passis tua auctoritate propria accipere, tibi tuisque perpetuo retinere, dando et cedendo tibi et tuis perpetuo in dicto quartono decime omnia iura mea et loca, uoces, rationes et acciones meas reales, personales, utiles, directas michi competentes uel competituras, constituens inde te procuratorem et uerum dominum in rem tuam proprio iure ad habendum, tenendum omnique tempore possidendum ad omnes tuas tuorumque uoluntates ibi et inde perpetuo faciendas, saluo iure in omnibus et per omnia dominorum, scilicet in terciis, laudismiis et foriscapiis, et non possit tibi dicta dedma auferri eo quia non es miles, neque tenearis prestare aliquod censum uel seruicium ratione decime supradicte, sine aliquo retentu quem ibi uel inde non facio, omnibus meis meorumque uocibus et rationibus in perpetuo extinctis et penes te et tuos remanentibus et translatis. Et promito tibi per me et meos presentem uendicionem saluare et dictam decimam semper tibi et tuis facere habere et tenere in sana pace, et ero inde tibi et tuis defensor et legitimus guirent contra cunctam uiuentem personam. Uerum, si aliqua persona in predicto quartono decime tibi uel tuis tetigerit, contradixerit, forifecerit, inquietauerit, emparauerit siue questionem aliquam uel demandam inde contra te uel tuos mouerit, ego statim satisffaciam et respondebo pro te

et tuis et ante litis contestationem, in me honus litigii suscipiam et ducam causam cum meis missionibus et expensis a litis principio usque in finem, aut si tu uel tui uolueritis, possitis causam ducere per uos ipsos, uobis tamen super hoc prius electione seruata, remitendo tibi et tuis ex pacto necessitatem denunciacionis, et si in propria persona causam malueritis ducere et tractare, promito uobis reffundere omnes expensas circa litem factas et omnia dampna, grauamina, missiones et interesse quod et quas te uel tuos pati uel facere modo aliquo oportuerit, siue obtineatis in causa siue subcumbatis, et quicquid ac quantum a uobis euinceretur, et credamini de omnibus, uniuersis et singulis uerbo simplici, sine aliquo sacramento, nullo genere probacionis exacta. Et pro his omnibus, uniuersis et singulis complendis et atendendis ac de firma et legali euictione obligo tibi et tuis me et heredes et successores meos et omnia mea bona mobilia et immobilia et iura ubique, presencia et futura. Et ad maiorem firmitatem omnium premissorum iuro per Deum et eius sancta .nu.or Euangelia corporaliter tacta predictam uenditionem et omnia supradicta semper rata habere et inuiolabiliter obseruare, atendere et complere, nec in aliquo contrauenire per me uel per aliquam personam interpositam, iure aliquo siue causa; et super hiis renuncio omni iuri speciali et generali, nouo et ueteri omnique auxilio legum et doctorum contra predicta in aliquo repugnantibus. Et nos Raimundus de. Scala et Bernardus Struscii, manumissores testamenti Petri Struscii olim defuncti, laudamus, concedimus et approbamus hec omnia suprascripta. Et ego Bemardus Struscii, filius minor dicti Petri Struscii qui uocatur Bernardus et ego Berengarius Struscii et ego Arnallus Struscii et ego Petrus Struscii fratres, filii dicti Petri Struscii olim defuncti, et ego Guilielma Struscia mater eorum, per nos et nostros laudamus, concedimus et confirmamus tibi dicto emptod et tuis perpetuo uendicionem dicte decime per dictum Bernardum Struscii superius tibi factam, diffinientes et remitentes tibi dicto emptori et tuis perpetuo si quid iuris habemus uel nobis competit aut competere debet aut potest ratione hereditatis et legitime uel substitutionis aut alio quouis modo in decima supradicta superius tibi uendita, renunciantes super hoc omni iuri et rationi nobis in dicta decima competenti uel competituro; et nos dicti fratres in hac parte renunciamus iuri minoris etatis, recognoscentes nos esse maiores, et ego Guilielma Struscia scienter renuncio omni iuri quod habeo ratione mei sponsalicii uel alio modo in decima supradicta. Et ad maiorem firmitatem omnium predictorum iuramus nos omnes per Deum et eius sancta .nu.or Euangelia corporaliter tacta predictam uendicionem et omnia supradicta semper rata habere et in perpetuum obseruare nec in aliquo contrauenire per nos uel per aliquam personam interpositam iure aliquo siue causa.

Quod est actum idus decembris anno Domini millesimo .ccLx. nono. Sig+num Bernardi Struscii uenditoris predicti, sig+num Berengarii Struscii fratris eius predictorum, qui hec omnia concedimus et iuramus predicto die et anno in presentia et testimonio Guilielmi Poncii de Bisulduno, Arnalli de Albis, Raimundí Guaresches, Arnalli de Sancto Martino et Guilielmi de Fabricis, testibus. Sig+num Bernardi Struscii, filii minoris Petri Struscii qui uocatur Bernardus, qui hec omnia firmo et iuro eadem die et anno, presentibus Guilielmo Poncii, Arnallo de Albis et Raimundo Guaresches, testibus. Signum Arnalli Struscii,

Sig+num Petri Struscii, fratrum, sig+num Guilielme Struscie matris eorum predictorum, qui hec · omnia concedimus et iuramus .XI. kalendas ianuarii eodem anno, presentibus Bernardo Siluano, clerico, Arnallo Barrot, clerico et Ioanne de Boeria clerico, testibus. (s. man.) Bernardus Struscus'\ (s. man.) Raimundus de Scala

Sig(s. man.)num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 431-434